



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XXXII. De Novi operis nuntiatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

## TITULUS XXXI.

De

### Excessibus prælatorum & subditorum.

**QUÆRES.** Quid sit excessus & quotuplex?  
**Respond.** Excessus est delictum sive vitium, quo quis transgreditur modum in injuncto sibi munere præfixum. alius committitur à Prælati aliis, à subditis. Prælati excedunt, vel in vitâ si defectus committant eorum dignitati contrarios; aut in regimine, si subditos opprimant, exactiones injustas faciant, infantes puniant, Justitiam non administrent, indignos promoveant, &c. super quibus omnibus altissimo rationem reddere debebunt, eò quod neglecto pastoris officio, in lupos conversi commissas sibi oves deglubant, quas non nisi tondere debebant. Excedunt subditi si prælati sive superioribus suis cum debito honore & reverentiâ morem non gerant, si delicta ab iis prohibita committant, si contra eorum personas peccent, &c. Qui excessus qualiter puniantur variis in locis docent canones pro gravitate aut levitate delicti.

## TITULUS XXXII.

De

### Novi operis nuntiatione.

**QUÆRES I.** Quid sit novi operis nuntiatio?  
**Respond.** Novi operis nuntiatio est illi vel alteri ejus nomine, qui opus novum in dam-

NUM

num & præjudicium alterius ædificat, legitimè facta prohibitio; nuntiare enim hoc loco nihil aliud est, quàm prohibere, & novum opus nuntiat, qui vicino prohibet ne ædificet, quia novi operis nuntiatio competit solùm aduersus opera quæ nondum facta sunt, si enim facta fuerint, ad *interdictum*, quod *vi vel clam*, vel aliud simile Iuris remedium recurrendum erit.

QUÆRES 2. Quomodò sit facienda nuntiatio? Respond. Nuntiatio hæc tribus modis fieri potest. *Primò* per Prætorem, id est autoritate Magistratus, supplicando ut is ædificare volenti opus novum inhibeat. *Secundò* per privatam denuntiationem aduersario extrajudicialiter factam, ut vel opus novum non incipiat, vel ab incepto desistat. *Tertio*, per dispersionem materiæ ad ædificandum paratæ, quod omni die etiam feriato fieri potest.

QUÆRES 3. Quem effectum habeat nuntiatio? Respond. Effectus hujus nuntiationis est, quòd denuntiatione factâ, teneatur ædificans ab opere cœpto desistere, usque dum judiciali cognitione constet, an jus ædificandi competat nec ne; quod si is nuntiatione contemptâ perrexerit, nec paruerit decreto Iudicis, ipsius expensis quidquid ædificatum est, demoliendum erit, & quidem ante omnem cognitionem judicialem. *l. 1. in principio, § l. 20. §. 1. §. ait prator. ff. b. t.* quorum legum civilium dispositio in foro Ecclesiastico recepta, & in *cap. 1. § sequent. b. t.* Expressè est approbata; qui plura de hac materiâ scire desiderat, leges consulat civiles, ad quas propriè spectat.

TITU.